



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

De Munere Concionandi, Exhortandi, Catechizandi - Continens non tantùm praecepta ad artem concionandi discendam accomodata, sed etiam Ideas & Conceptus practicos pro Concionibus in Festis B. V. & SS. Dedicacionis, Patrociniij, Novi Anni, Paschatis, Parasceves; item in Primitiis Sacerdotum,

...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1679**

Exemplar II. In quo ostenditur, quomodo motivum aliquod ad Beatissimæ Virginis amorem alliciens proponi queat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48347](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48347)

nobis in omnibus actionibus nostris, sed illis præsertim virtutibus, quæ immaculatam Conceptionem tuam singulariter de decent expugnandis, nec deseras nos in hora mortis nostræ, sed potiùs in immaculatum tuum sinum nos suscipe, & in Paradysum Cælestem transporta, ubi cum omnibus Sanctis in omnem æternitatem gratissimum tibi præconium illud accipiamus: Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.

### Exemplar Secundum.

In quo ostenditur, quomodo motivum aliquod ad Beatissimæ Virginis amorem alliciens proponi queat.

#### *Thema.*

Erunt signa in sole & stellis, & in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris & fluctuum arescentibus hominibus, præ timore & expectatione, quæ supervenient universæ orbi Luca 11.

#### *Scopus.*

Demonstrandum, quòd Beatissima Virgo sit arca spiritualis, per quam ab æterno interitu servari debeamus, seu quòd amor Beatæ Virginis sit verum signum prædestinationis.

#### *Syllogismus principalis.*

*Sicut in diebus Noë, ita erit adventus Filii Hominis; ergo maturè confugiendum est ad Arcam aliquam spirituales, in qua salvemur; atqui Beatissima Virgo talis est arca spiritualis; ergo maturè ad eam confugiendum est.*

### EXORDIUM.

In libro Genesis cap. 6. legitur, quòd, cum DEUS videret quòd multa malitia hominum esset in terra, tæctus dolor cordis intrinsecus, decreverit delere hominem & animantia idèoque Noë ad se vocaverit, ei que, ut arcam ædificaret, præceperit; quod cum strenuè executus fuisset Noë, à Concivibus quidem suis ab initio derisus, & pro deliro habitus est, sed magno eorum damno, nam postquam Noë in arcam cum Filiis ingressus est, omnes in diluvio submersi, serò errorem suam cognoverunt, frustra que deplorârunt. Quod tempore Noë evenit, idem etiam in fine mundi contingeret, nisi ipse Christus prædixit dicens; *Sicut in diebus Noë, ita erit adventus*

adventus Filii hominis; sicut enim erant in diebus ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes & ad nuptias tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noë in arcam, & non cognoverunt, donec venit diluuium, & tulit omnes; ita erit adventus Filii hominis, atque adeo, quisquis diluuium illud terribile iudicii divini & æternæ damnationis evadere voluerit, meritò maturè sibi de arca spirituali prospicere debet. Et si verò non ignorem plures ejusmodi arcas, id est, signa prædestinationis passim ab Ascetis assignari, judico tamen hanc prærogativam ante alias Beatissimæ Virgini convenire; quare ut maturè ad illam per veram devotionem & fiduciam confugiatis, hac concione fusiùs ostendam, quam rectè illa arcæ spirituali comparetur, & quàm meritò devotio erga illam inter præcipua prædestinationis signa numeretur; Vos interea, ut tantò promptiùs ad arcam confugiatis, mentes animosque præparate.

*Narratio.*

Solent Rhetores, quando naturam & præstantiam aliqujus rei accuratiùs volunt ostendere, ante omnia quatuor causas principales indagare, his enim cognitis judicant, non difficulter cujusque rei naturam & præstantiam cognosci posse; quòd si ergo & nos cognoscere velimus, quàm verè Beatissima Virgo spirituali arcæ comparetur, non meliùs videmur id obtinere posse, quàm si quatuor dictas principales causas, scilicet materialem, formalem, efficientem & finalem indagemus; nam quoad omnes summam inter utramque arcam similitudinem deprehendemus.

*Confirmationis Prima Pars.*

Nam primam materialem causam quod attinet, qualis ea in arca Noëtica fuerit, sacer textus Genes. 6. indicat, dum ait: *fac tibi arcam de lignis lævigatis* (Chaldæi & Rabini ex libris Cedri intelligunt) & *Bitumine linies intrinsecus & extrinsecus*; sed hæc multò perfectiùs in arca nostra spirituali repetiuntur; illa namque verè erat ex cedro, id est, altissimis perfectionibus composita, omnisque tam corporalis, quàm spiritualis putredinis expers; illa verè erat lævigata, id est, ita mortificata, ut neque spiritus adversus carnem, neque caro adversus spiritum concupisceret; illa verè erat Bitumine

H §

gratiæ

gratiæ intrinsecus & extrinsecus illita & armata, ita, ut nec unica gutta diluvii, id est, peccati, cujusunque in eam unquam intraverit, id quod clarè sanctus Bernardus in Epist. ad Canonic. Lugdunenses indicavit, dum dixit: magna fuit Sanctificatio Ieremia, quia potuit faciliter vitare culpam mortalium: maior sanctificatio Ioannis Baptista, quia potuit vitare frequentiam venialium: maxima Virginis Maria, quia potuit vitare, imò vitavit omne peccatum.

### Pars Secunda.

Jam verò, si formam arcæ Noëtice consideramus, eam sic describit sacer textus loco cit. Trecentorum cubitorum erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, & triginta cubitorum altitudo illius, fenestram in arca facies, & in cubito consummabis summitatem eius, ostium autem arca ponet ex latere deorsum canacula & tristega facies in ea; sed & hæc perfectius longè in arca nostra reperiuntur, nam primò quanta illius in omnem partem dimensio fuerit, pulchrè iterum sanctus Bernardus in quodam sermone indicat, dum ait: Quam misericordia tua, o Benedicta, longitudinem, profunditatem, sublimitatem & latitudinem queat investigare, nam longitudo eius usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit adversis; latitudo eius orbem terrarum replet, ut tua misericordia omnis terra plena sit; sic & sublimitas eius civitatis superna invenit restaurationem, & profundum eius sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit Redemptorem; imò Idem Sanctus dixit, hanc arcam majorem & latiore esse toto orbe terrarum, quin & ipsi cælis; O Venter, inquit, capacior cælis, diffusor terris, latior elementis, qui illum continere voluit, quem totus orbis comprehendere non potuit, & qui tribus digitis molem terra comprehendit. Fenestra hujus arcæ spiritualis erat puritas & integritas hujus Sanctissimæ Virginis, per hanc enim excludebantur omnes malignæ humiditates inordinatorum affectuum; E contrario verò soli justitiæ & clarissimæ luci æternæ sapientiæ & calori seu amoris intensissimo Spiritus sancti aditus copiosè patebat. Ostii seu Januæ vicem misericordia hujus sanctissimæ Virginis subit, per quam facilè sanè aditus conceditur omnibus eam pullantibus, quemadmodum pulchrè S. Bernardus his verbis indicat.

sum misericordia sua Maria omnibus aperit, ut de plenitudine eius omnes accipiant. Denique nec habitationum deest diversitas, nam quemadmodum in arca Noëtica tres reperiebantur contignationes, una pro avibus, secunda pro hominibus. Tertia pro Quadrupedibus; ita in nostra quoque arca spiritali una quodammodo reperiebatur habitatio pro peccatoribus, qui Bestiis comparantur à sancto Davide psalmo 28. dicente: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*; alia pro iustis, qui verè hominis appellationem merentur, quia rationi & legi divinæ conformiter vivunt; & ultima denique pro Angelis, qui avibus propter volandi canendique facultates meritò assimilantur, de quibus hic rursus sanctus Bernardus loquitur: *Ex hoc Beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam & gloriam tribuisti; in te nimirum Angeli latitiam, iusti gratiam, peccatores veniam inveniunt in aeternum*; an non ergo propter formam rectè arcæ comparatur B. Virgo?

*Pars Tertia.*

Non minùs tamen etiam quoad efficientem causam perfectissima reperitur similitudo, nam quoad corpus quidem ædificata erat à sancto Joachimo, qui verè gratiam invenerat coram Domino, & ambulabat cum eo, & propter sterilitatem ab initio irridebatur à vicinis, ut Noë: quo ad animam, à quo ædificata fuerit, clarè sanctus Augustinus in lib. contra duas hæreses indicavit, dum ait: *Vnde sordes in Maria, qua nec in concipiendo libidinem, nec in pariendo est passa dolorem? unde sordes in illa domo, in qua nullus habitator terra accessit? solus ad eam eius fabricator, & dominus venit*; si ergo Christus hanc arcam fabricavit, quis non videt, eam ob varias quidem causas, sed præcipuè quia mundum restauravit, eique requiem (quam significari per vocem Noë Interpretes notant) attulit sempiternam, ipsi Noë optimo jure comparari posse, atque ad eò etiam ex hac parte tantò præstantiorem esse arcam nostram spiritualem, quantum dignitate sua, aliisque omnibus prærogativis Christus Noë-mum antecedit.

*Pars*

## Pars Quarta.

Verum quod specialiter arcam nostram commendat, causæ finalis similitudo est cum arca Noëtica; ut enim illa ad humanum genus ab interitu corporali & temporali servandum extructa est; ita ad homines à morte spirituali & æternæ redimendos arca nostra spiritualis est præparata; quam ob causam merito amor & fiducia erga illam inter præcipua prædestinationis indicia numeratur; & hoc est, quod hodie potissimum à vobis, dilecti Auditores, bene adverti velim non possumus quidem in hac vita sine speciali DEI revelatione certitudinem physicam habere de nostra prædestinatione (*nescit enim homo, an amore, an odio dignus sit*, teste Salomone Ecclesiast. 9.) nihilominus tamen probabilia quædam indicia, per quæ moralem quandam spem ac certitudinem salutis nostræ concipere valeamus, habere nos posse, omnes Theologi concedunt, & intra hæc merito præcipuum, potestatem Christi amorem, locum habere devotionem erga sanctissimam Virginem probant sequentibus, iisque efficacibus argumentis.

Primo ex comparatione cum mulieribus antiqui testamenti liberantibus ab interitu, & figurantibus hanc sanctissimam Virginem; nam ut Eva erat mater corporaliter viventium à primo Adamo progenitorum, ita ipsa est mater spiritualiter viventium, & à secundo Adamo, id est, Christo progenitorum; sicut Filia Pharaonis Moysen ex aquis extraxit, ita Beatissima Virgo velut Filia summi Regis dignissima Christum ex aquis tribulationum & periculorum, quæ sæpius eum suffocare debuissent, servavit, ut homines à Tyrannide diaboli educere & liberare posset: sicut prudentissima Abigail placavit iram Davidis, ne iret ad sanguinem: Betsabea pulcherrima Salomoni Regnum impetravit. Judith pulcherrima Holoferni caput abscindendo patriam ab interitu liberavit: Itémque castissima Esther liberationem suæ gentis maximam felicitate procuravit; ita misericordissima nostra Mater hæc omnia tantò perfectius præstitit, quantò pluris faciendum est, ab æterna quàm temporali morte esse servatum, & ad cæleste, quàm terrestre regnum fuisse promotum.

Secundò id ipsum probant, & colligunt ex variis scripturæ locis, quæ ex divino instinctu ab Ecclesia ipsi attribuuntur, quales sunt v. g. *Beatus homo, qui audit me, & vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei; qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino; qui autem in me peccaverit, ladet animam suam; & omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.* Prov. 8. simili modo etiam attribuitur illi memorabilis illa Ecclesiast. 24. cap. Sententia: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, & dixit mihi: in Iacob inhabita, & in Israël hereditare, & in Electis meis mitte radices;* præ reliquis autem pulchrè hanc veritatem confirmat, quòd illa sententia Canticorum 7. *Venter tuus, sicut aceruus tritici;* ei accommodetur; per eam namque Interpretes significare volunt Christum fuisse fertilissimum illud granum tritici, de quo in Evangelio ipse olim loquebatur. quod in terram per mortem coniectum, mortuumque fecit fructum multum, ideòque pro electo hoc tritico Justorum ventrem seu sinum Beatissimæ Virginis velut horreum vel receptaculum fuisse præparatum.

Tertiò pari modo id ipsum colligitur ex titulis, qui ab eadem Ecclesia huic sanctissimæ Virgini attribuuntur, quales sunt janua cæli, stella matutina, civitas refugii, præcipuè verò Mater DEI, & arca fœderis, nam si Salomon matri suæ Berfabæ dixit Reg. 3. cap. 2. *Pete mater mea; neque enim fas est, ut avertiam faciem tuam.* si eodem loco ad Abiathar Sacerdotem dixit: *Equidem vir mortis es, sed hodie non interficiam te, quia portasti arcam DEI coram David Patre meo;* Quantò magis Christus matrem suam dilectissimam exaudiet, & omnibus, pro quibus ipsa intercedet, regnum cælestè dabit; quantò magis parceret, & æterna morte non puniet eum, qui vitam fœderis arcam, id est, matrem suam sanctissimam in corde suo per totam vitam circumtulit?

Quartò etiam auctoritate & consensu sanctorum Patrum id confirmant, ex quibus tantum unum alterumve breviter citare placeat. Quorum primus est sanctus Anselmus, qui in sermone quodam memorabilem hanc sententiam protulit, omnium hominum cordibus aureo Characterè inscribendam: *Sicut à te despectus, & à te aversus, necesse est, quòd perest, sic ad te reversus, & à te respectus impossibile est, quòd per-*

per-

pereat. Secundus est sanctus Germanus Patriarcha, qui in sermone de Zona sic loquitur: *Quomodo corpus nostrum vobis, signum operationis habet respirationem, ita & sanctissimum nomen tuum, ô Virgo Beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco, & modo vita, letitia & auxilii non solum est signum, sed ea etiam procurat, & conciliat.* Quis non singulare ex talibus sententiis solatium capiat?

Quintò idem ex variis etiam revelationibus probant, nam imprimis ipse DEUS sanctæ Catharinæ Senensî revelavit, ut in tract. 4. dial. cap. 139. legitur, quòd propter incarnationem Filii sui, Matri ejus ex infinita sua Bonitate concesserit, ut nullus peccator, quantumcunque magnus, qui eam debita fiducia & devotione coluerit, à Diabolo abripiatur; ipsam namque esse escam dulcissimam, quâ inescati homines, & præcipuè peccatores ad cælum attrahantur. Sed & Christus quondam Garfendæ nobili Matronæ pro Comite Elzeario, quem educaverat, oranti dixit: *Juveni huic, pro quo tantum oras, noveris me matrem meam dedisse Magistram; nihil ergo de illa dubites.* Præ reliquis tamen memorabile est, quòd ipsamet sanctissima Virgo quondam sancto Alano dixit; ut Georgius Pistorius in matre admirabili conc. 7. refert: *O dilectissime Sponse: debeo tibi occultum providentiæ divinæ mysterium revelare, quòd mox etiam aliis à te manifestari velim, nempe à salutatione Angelica, per quam totus mundus instauratus est, tædium & horrorem habere esse infallibile signum reprobationis; e contra verò ad illam in animo devotionem & voluptatem sentire, signum prædestinationis est.* Aliàs verò sanctæ Brigittæ dixit, ut Pater Petrus Pennequin in Isagoge dissert. 2. n. 5. refert: *Ego sum Regina Cæli, Ego mater misericordiæ, Ego justorum gaudium & aditus peccatorum ad DEUM.* Nullus est adeò maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordiâ, quin propter me levius tentatur, quàm alioquin à dæmonibus tentaretur. Nullus est ita alienatus à DEO, nisi fuerit omnino maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad DEUM, & habiturus sit misericordiam. Ego vocor ab omnibus misericordiam Mater, & verè, quia misericordia ejus me fecit misericordem

dem, ideo misererit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit, ergo veni, & absconde te sub pallio meo.

Sextò, id ipsa experientia confirmat, quâ constat, quotquot magis in sanctitate & virtute perfecti fuerunt, eos singularem semper erga sanctissimam Virginem amorem, devotionemque habuisse, neque unquam fuisse repertum, qui vel minimam devotionem constanter exercuerit, & tamen mala morte obierit. Nimirum ut Auctor naturæ tenellis agnis naturalem quendam instinctum indidit ad matrem suam ox mille aliis ovibus, licet ferè similibus dignoscendam, ut per eam ali & conservari possent; ita DEUS quoque ut Auctor gratiæ iis, quos salvare decrevit, internum quendam impulsum & amorem ad hanc sanctissimam Virginem ingenerat, ut ad eam confugiant, & per ejus maternam pietatem salvari mereantur. ut adeò integerrimus ille Juvenis Perchmannus ex Societate JESU meritò dixerit: *si amavero beatissimam Virginem, securus ero mea salutis, & constantia in vocatione.*

Septimò denique id ipsius etiam dæmonis confessiones stabiliunt, qui, licet Pater mendacii sit, in iis tamen, ad quæ revelanda divina auctoritate compellitur, meritò ipsius confessio non levem auctoritatem habere debet; de hoc ergo legitur in Histor. Ord. Prædic. quòd adjuratus cum socio in obfesso homine jussusque dicere, quem sanctum maxime reformidaret, sequentia responderit. Primò: Mater DEI est nimis potens in præservandis servis suis, ne in infernum ruant. Secundò fateamur coacti, neminem nobiscum damnari, qui in ejus sancto cultu perseverat devotus. Tertiò, unicum suspirium ab Ipsa prolatum & sacrosanctæ Trinitati oblatum excedit omnium Sanctorum merita. Quartò contra fideles Ejus servos non possumus prævalere. Quintò notum sit omnibus, plurimos in hora mortis eam invocantes salvari. Sextò ampliùs compulsi annuntiamus, nullum in exercitio sacri Rosarii perseverantem damnari, quia ipsa impetrat contritionem, & alia ad salutem necessaria.

Ex quibus omnibus facilè nunc apparet, quàm meritò Beatissima Virgo Arcæ spirituali compareretur, atque adeò nihil aliud supersit, quàm ut in eam maturè confugiamus, eamque in finem duos pedes spirituales usurpemus, quorum primus

primus est fidelis fiducia ad hanc sanctissimam Reginam ideoque illam sancti Bernardi admonitionem perpetuo in mente & auribus habeamus: *in periculis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat à corde.*

Secundus pes est constans erga eandem DEI Matrem devotio, quæ in eo consistit, ut pauca quidem, sed constantè & ferventer peracta obsequia quotidie, vel certè in diebus ipsi specialiter dedicatis, quales sunt Sabbathum & festa illius peragamus; præcipuè tamen imitatio illius in executione DEI voluntate procuretur; hoc enim esse efficacissimum imò necessarium medium ad opem illius impetrandam jam olim sanctus Bernardus indicavit dicens: *ut impetres orationis eius suffragium, non deseras conversationis exemplum;* quia imò ipsamet sanctissima Virgo id ipsum satis insinuavit, dum in nuptiis Canæ Gallileæ volentibus vinum per ipsam à Filio impetrare dixit: *quodcunque dixerit vobis, servate & facite;* hoc ergo potissimum caput est, in quo sanctissima Virgo nostram imitationem desiderat, ut nempe non tam ore quam opere dicamus: *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum;* tunc enim meritò etiam ad hanc devotionem applicare possumus illud sancti Joannis 1. cap. 5. sententiam: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEVM (& sanctissimam Matrem illius) & quicquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus, & ea, quæ sunt placita coram eo, facimus.*

### Epilogus.

His ergo duobus pedibus instructi audacter accedamus ad arcam istam spiritualem, & cum magna fiducia dicamus: *Sub tuum præsidium confugimus, sancta DEI Genitrix, nostras deprecationes ne despicias; noli aspiciere nostra peccata & demerita, sed potius merita Filii tui; noli attendere malitiam nostram, sed tuam misericordiam maternam considera; noli meminisse hæcenus admissa in tuo cultu & veneratione negligentia, sed potius memento, te velut Arcam spiritualem nobis à Filio ablatam esse, dum nos tibi in cruce tam sollicitè in Ioanne commendavit, libera erga nos à periculis cunctis, ô Virgo gloriose & benedicta, præcipuè verò à diluvio illo terribili ultima*

rentia, ut & nos tibi cum Noë post periculum superatum, altare spirituale amoris in corde nostro adiscemus, & laudes tibi ac DEO cum Sanctis omnibus à te liberatis per totam aternitatem canemus. Amen.

Nota hunc esse copiosissimum fontem, ex plurimæ, & æque sat utiles materiarum pro concionibus de B. Virgine hautiri possunt, uti ex sequentibus conceptibus videre est.

### Conceptus alii.

I. Ex occasione thematis: *Ecce Mater tua*, Joan. 19. ostendi potest, quomodo B. Virgo verè sit Mater nostra spiritualis, & quidem triplici titulo. 1. Quia, cum sit Mater Christi, est etiam Mater membrorum ejus; Fideles autem sunt membra Christi, illi ut capiti connexa, uti S. Augustinus in l. de Virg. discurret. 2. Quia, cum Christus sit Frater noster, uti ipse Matth. 28. indicavit dicens: *Ite, nuntiate Fratribus meis*: Meritò & ipsa Mater nostra dici potest, uti S. Anselmus de concept. Virg. c. 15. notavit dicens: *O Domina, si Filius tuus factus est per te Frater noster, nonne tu per illum facta es nostra Mater?* 3. & potissimum, quia omnia officia veræ Matris perfectissimo modo spiritualiter erga nos exercet. Nam 1. sub Cruce nos genuit, uti S. Rupertus super verba: *Mater, cum parit, tristitiam habet*; notavit dicens: *Proinde quia ibi dolores ut parturientis sustinuit in passione unigeniti DEI, omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, & facta planè omnium nostrum Mater est.* Hinc & Christus ibi potissimum dixit Joanni omnium hominum Personam sustinenti: *Ecce Mater tua*. Et Salazar in c. 8. Prov. ideo putat cuivis homini illa Cantico c. 8. verba applicari posse: *sub arbore malo* (id est, cruce ex malo, ut aliqui putant, facta) *suscitavi te; ibi peperit te Mater tua, ibi parturivit te Genitrix tua.* 2. Quia nos sollicitè alit, & educat, omnia necessaria corpori & animæ impetrando, sicut vinum in Cana Galilæa impetravit. Certè S. Hermanno, cum adhuc Puer esset, lapidem in templo ostendit, sub quo, quoties victu aut alia re indigebat, tantum pecuniæ reperiebat, quantum pro præsentis necessitate indigebat; unde meritò, quod olim Pharaò Egyptiis frumentum aut aliud quid petentibus dicebat: *Ite ad Ioseph*, Christus nunc de Matre sua ad nos dicit: *Ite ad Matrem meam.* 3. Quia in sinum suum nos recipit.

Instr. VII.

I

capit.

cupit, & à periculis ac hostibus defendit, sicut Gallina pulli suos; ut aded meritò S. Bernardus hortetur: *In dubiis, in angustis, in periculis MARIAM cogita, MARIAM invoca, recedat ab ore, non recedat à corde.* 4. Quia hæreditatem ternam procurat juxta illud Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino.* Unde meritò mnes illis Siracidis verbis Eccl. 24. ad se invitat: *Transferte me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus super mel dulcis, & hæreditas mea super mel & favum.* Vide Pistorium de Matre jus admirabile conc. 3. & nota historiam de Matre jus maternum in B. transcribente. fol. 29.

II. Ex occasione thematis: *Ave maris stella, DEI Mater Alma.* potest B. Virgo stellæ Maris comparari. 1. Quia sicut stellæ rotundæ sunt, atque aded figuræ capacitate; ita & Beata Virgo cælestium donorum capacitatem exitit, uti S. Hieronymus testatus est dicens: *Cælestibus partibus præstat: MARIÆ verò se totam insudat gratia plenitudo.* 2. Quia sicut stellæ nobis parvæ videntur, se autem altissimæ & maximæ existunt; ita & B. Virgo in oculis quidem & hominum oculis, dum vivebat, parva & humili apparebat (hinc enim se Ancillam Domini vocabat) in cælestibus verò maxima fuit, uti S. Anselmus testatus est dicens: *Nihil tibi Domina, æquale est, nihil comparabile; omne enim quod est, aut supra te est, aut infra te; supra te solus DEVS est, infra te omne, quod DEVS non est.* 3. Quia sicut stella maris illuminat & dirigit navigantes, eosque à periculo naufragii liberat; hinc S. Bernardus: *In dubiis, in periculis respice stellam, voca MARIAM; id quod exemplo Theophili B. primò negantis, postea verò per illam à Dæmonis potestate liberati probari potest; uti fusiùs in Spec. Exempl. Tit. MARIA. ex. 6. probari potest.* 4. Quia sicut stella suis inflantibus recreat, & conservat homines; ita B. Virgo cælestibus temporalibus donis impetratis servos sibi devotos lætificat & fovet. hinc meritò Idiota dixit: *Non est in ullo alio nomine post nomen superbenedicti Filii tui tam potens adiutorium; non est ullum aliud nomen datum sub celo hominibus post dulce nomen IESU, ex quo tanta salus hominibus refunditur, quia super omnia nomina reficit lapsos, sanat languidos, illuminat cæcos.*

penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, & iugum Diaboli extrudit; id quod frequentia anathemata in templis suspensa passim testantur. 5. Quia sicut stella maris attrahit ferrum, ita B. Virgo peccatores; quam ob causam refugium peccatorum dicitur. Hinc & S. Gertrudi olim, teste Blosio in monil. c. 1. Splendidissimo pallio cooperta apparuit, & varias, easque deformes valde bestiolas ad se confugientes magna charitate excepit, & pallio suo involuit, cumque ob hoc factum obstupesceret S. Gertrudis, significatum est illi, per has bestias peccatores indicari, quos illa ad se confugientes pari benevolentia suscipere consuevit. Eum in finem narratur historia de Juvene scelerato, qui ad Avunculi consilium quotidie psalterium recitabat, mirabiliter converso, uti in Spec. Exmpl. tit. MARIA. ex. 5. fusius refertur.

III. Ex occasione thematis: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem in Domino.* ostendi potest, quomodo B. Virgo sit janua cœli. 1. Quia per illam omnes ad cœlum intrare debent, uti S. Bernardus s. de aqueductu testatus est dicens: *Totis medullis cordium, totis precordiorum affectibus, & votis omnibus MARIAM hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui omnia nos habere voluit per MARIAM.* 2. Quia porta hæc semper aperta est, uti iterum S. Bernardus S. Signum magnum, indicavit dicens: *Sinum Misericordie sue MARIA omnibus aperit, ut de plenitudine eius accipiant universi.* Hinc S. Birgittæ quondam dixit: *Ego sum Justorum gaudium, & aditus Peccatorum ad DEVM; nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordiam meam: Nullus ita abjectus a DEO, qui, si me invocaverit, non revertatur ad DEVM, & habiturus sit misericordiam.* 3. Quia ampla est hæc porta, atque adeo sine magna difficultate per eam intratur, id est, per exigua opera ad B. Virginis honorem præstita salus obrinetur, uti pulchrè probari potest variis exemplis, maximè Latronis propter amorem Deiparæ die Sabbathi jejnantis, & nullum occidentis, postea illius ope mirabiliter conversi, uti in Spec. exempli. tit. MARIA. ex. 20. fusius videre est; aut Militis quotidie unicum *Ave* dicentis, & a Diabolo, qui sub specie famuli quatuordecim annis ipsi insidiatus fuerat, liberati, uti ibid. V. Salutatio Angel. ex. 5. narratur. Unde meritò Ecclesia canit: *Alma*

*Redemptoris Mater, quæ per via cali Porta manes, eamque etiam in alio hymno salutat: Ave maris stella, DEI Mater alma, atque semper Virgo, felix cali porta.*

IV. Ex occasione thematis: *Sub tuum præsidium confugimus S. DEI Genitrix: potest imprimis iudicium extremæ tempestati terribili comparari propter exhalationes nostrorum peccatorum sursum ascendentes, & DEVM graviter descendentes; propter horrendum tonitru tubarum Angelicorum clamantium: Surgite mortui, venite ad iudicium: propter fulgur horrificum adventus Filii hominis, id est, Christi iudicandum venientis, de quo S. Matthæus c. 24. dixit: Surgit fulgur exit ab Oriente, & paret usque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis: & propter fulmen terribile ultimæ sententiæ: Ite maledicti in ignem æternum.* Deinde verò potest subinferri, varia media ab hominibus adhiberi, ut se contra fulmen defendant; alios enim in specus & cellas subterraneas se abscondere; alios hispanicas cruces eum in sinu portare; alios denique ad Laurum confugere, eò quòd Plinius & alii narrent, Laurum nunquam fulmine percuti, unde Imperator quidam, quoties cælum tonabat, caput laurea coronâ cingebat; & horum consuetudinem contra spirituales tempestates tantò impensius imitandam videri, quanto ceteriores sunt, se à fulmine terribilis sententiæ non feriendos esse, si ad Laurum spirituale, nempe B. Virgininem, quæ tum ob Virginitatis decus semper custoditum, tum ob fulgentem semper virentia bonorum operum nunquam interruptam meritis Laurum comparari potest, confugiant; ita enim colligitur 1. ex S. Bernardi hom. 2. super missus est testimonio: *Si criminum immanitate turbatus, conscientia fatiditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias asorberi tristitia, desperationis abyssso, cogita MARIAM.* 2. ex S. Ignatii M. testimonio, qui, teste Nickoviensi p. 2. d. 3. n. 15. dicere ausus est: *Nunquam malè peribit, qui Genitrici Virgini devotus, sedulusque extiterit.* 3. ex revelatione Catharina Senensis, quæ, ut refertur in tract. 4. dial. c. 3. ab ore ipsius æterni Patris hæc verba audivit: *MARIÆ Virgini Filii mei Genitrici gloriosa concessum est à bonitate propter Incarnati verbi reverentiam, quòd, quicumque ipsam vel peccator recurrat ad eam cum devota reverentia, nullum*

do decipietur, vel devorabitur ab infernali demone. 4. Ex visione S. Francisci, qui, ut Daurostius in catech. histor. c. 2. tit. 40. refert, vidit quondam in planitie homines congregatos, ac duas scalas ad cælum pertingentes, unam rubram, cui Christus insidebat; alteram candidam, cui E. Virgo insistebat; cumque per rubram Fratres ascendentes mox iterum à Christo dejecti fuissent, ad alteram confugientes facilem ad cælos aditum per B. Virginem repererunt; unde merito S. Bernardus ait f. 1. de Assumpt. *Advocatam promisit peregrinatio nostra, qua tanquam ludicis Mater, & Mater misericordia supplicitor, & efficaciter salutis nostra negotia pertractabit.* Quidni ergo clamemus cum Ecclesia: *Sub tuum presidium confugimus S. DEI Genitrix: nostras proces ne despicias in necessitatibus nostris, sed à periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, & benedicta.*

V. Ex occasione thematis: *Beatus homo, qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidie, & observat ad postes ostii mei.* Prov. 8. dici potest, cum vita nostra nihil aliud sit, quam peregrinatio juxta illud Apostoli 2. Cor. 5. *dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino;* merito viam securam, certam, & planam querendam esse, per quam ad Patriam nostram certo perveniamus, talem autem esse B. Virginem, utpote quæ 1. Via est *securissima*, cum sit terribilis ut castrorum acies ordinata: & ut S. Bonaventura in Spec. ait, *non sic timeant hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aërea potestates MARIE vocabulum, patrocinium, & exemplum. Flunt, & pereunt sicut cera à facie ignis, ubicunque inveniunt huius nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem.* Hinc Eremitæ cuidam, & P. Balthasari Alvarez Societatis JESU Sacerdoti dixerunt, se destituros ab eorum impugnatione, si illi à cultu B. Virginis desisterent. 2. *Certissima* est, uti in primis testatur Ecclesia ipsi applicans verba illa Prov. 8. *Qui me invenerit, inveniet vitam, & habuerit salutem à Domino.* Dein id ipsum S. Bernardus confirmat, dum in hom. 2. sup. missus est ait: *Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsa tenente non carruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitiâ pervenis;* ad felicitatem scilicet æternam. Et tandem confirmat ipsa experientia, quâ habetur,

neminem unquam damnatum esse, qui huic Virgini devote extiterit, ut adeo merito Dæmones aliquando coacti direrint, eam esse nimis potentem in præferendis servis suis, et in infernum ruant. Id expertus est Religiosus ille, qui, ut Antonius p. 3. tit. 23. c. 10. narrat, in agone duos Dæmones horribili specie adstantes videns clamare cœpit: *Maledicta hora, in qua Religiosus sum factus.* Sed mox B. V. adveniente, fugatis Dæmonibus, serenâ facie dixit: *Benedicta hora, quâ Ordinem intravi; & benedicta Mater Christi, quam semper dilexi, & in qua fiduciam meam posui.* 3. Planissimè quoque esse hanc viam testatur inprimis S. Ambrosius, qui nihil in ea asperum, nihil torvum reperiri, sed totam misericordem esse asserit. Confirmat dein iterum S. Bernardus, dicitque ait: *Volue, revolve totam Evangelii seriem; si quid durum, quid asperum invenias in MARIA, ad illam accedere mereri verearis, ideo vellus Gedeonis dicitur, quia vellus est mancipii, mitisque animantis exuvium.* Hinc apud S. Bonaventuram in Specul. c. 8. exclamat idem Sanctus. *O magna, O multum laudabilis MARIA, tu nec nominari potes, quin accendas; nec cogitari quidem, quin recrees affectus diligentissime. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita pia memoria portas ingrederis.* Causam verò hujus mitissimi affectus merito amori, quo homines prosequitur, adscribit S. Petrus Dam. s. de nativ. Virg. dum ait: *Scio, Domina, quia benignissima es, & amas nos amore invincibili, quos in te, & per te, filius tuus, & DEVS tuus summa dilectione dilexit.* Et quoniam amor non nisi amore rependitur, ideo redamare eam proinde studeamus. Si ergo amari & amare jucundum est, quis non hanc viam ad cælum jucundissimam esse credat, & quia firmam etiam certa atque securam, præ reliquis eligat ad iter in Patriam cælestem suscipiendum? Ostendatur ergo in sequente parte Concionis, quinam sint gemini pedes spirituales, quibus hæc via decurrenda est, scilicet *fiducia filialis, & amor fervens; & fiducia quidem in eo maxime ostendenda est, quæ firmiter credatur, eam posse & velle præ omnibus aliis Sanctis juvare nos, atque adeo ad eam in omnibus necessitatibus, dubiis, & adversis casibus sine timore repulsæ recurratur, exemplo S. Bernardi, qui in serm. de nativ. Virginis pertè confessus est, hanc Virginem esse suam maximam fiduciam*

ciam, & totam rationem spei suæ. Et ideo s. 4. in Dom. 2. Epiph. alios quoque ad similem fiduciam memorabili & consolatione plenissimâ sententiâ excitat dicens: *Sileat laudes tuas, si quis est, qui in necessitatibus suis invocatum te sibi meminere defuisse. Nos quidem servuli tui ceteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus Virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius; misericordiam amplectimur carius, recordamur sapius, crebrius invocamus.*

Cultus verò Marianus in eo potissimum ostendendus, ut, quæ pietatis exercitia ad honorem Virginis eliguntur, ferventer, constanter, & purâ mente offeramus, eumque in finem illud S. Joannis I. c. 2. dictum nobis applicemus: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad DEUM (& SS. hanc Virginem) & quidquid petierimus, ab eo accipiemus.* Hinc in Nuptiis Canæ Galilææ rogantibus, ut vinum à Filio impetraret, mox dixit: *Quacunque dixerit vobis (Filius meus) servate, & facite.* Hinc & S. Bernardus de hac Virgine discurrens, ut impetres, ait, orationis suffragium, non dejeras conversationis exemplum; nam, ut alius rectè cecinit: *Virginis est cultus pulcherrimus optima vita.* alioqui continget, quod Juveni illi contigit, qui, ut in spec. Exempl. V. salut. Angel. ex. 6. refertur, qui, cum turpissimam vitam vivens, ipsam frequentius per varias preces coleret, & saluaret, quâdam die eam spectabilem habuit cum aliis speciosis Virginibus, quæ cibos optimos in sordidis scutellis depositos offerebat, & ad comedendum invitabat; cumque ille nauseare se hos cibos ob scutellarum immunditiam diceret, respondit Mater DEI, eodem modo & se nauseam habere precum ab ipso peragi solitarum, eò quòd ex immundo corde proficiscerentur. Itaque excitentur Auditores, ut dictum sibi de hac via existiment, quod Jeremias c. 6. monet: *State super vias vestras, & videte, & interrogate de semitis antiquis, qua sit via bona, & ambulate in ea, & invenietis refrigerium animabus vestris.*

VI. Ex occasione thematis: *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* 3. Reg. 2. potest recenseri historia, quæ in cit. cap. de Bethsabea Salomoni Filio Regnum impetrante narratur, dicique, nos quoque regnum a-

liquod, scilicet caeleste, ambire, verum id melius impetrari non posse, quam per Matrem nostram, id est, Deiparam, in qua pra omnibus aliis Sanctis habeat proprietates ad potentem Advocatum requisitas, scilicet ut *sciat*, *possit*, & *velit* intercedere pro nobis, & juvare, id quod fufius demonstratur. Et 1. quidem ostendatur, quod *sciat* juvare, cumque in finem S. Germani s. 2. de Assumpt. sententia citetur dicentis: *ipsa omnia observat, omnia contuetur, & inspectio illius ad omnia se exporrigit. Et nescit quidem homo*, teste Sancto Anselmo de excell. Virg. quid oret, & quomodo oret, sed ipsa quid, & quomodo petendum sit, novit. quia, ut S. Petrus Dam. s. de Annunc. ait, *per ipsam, cum ipsa, & ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut, sicut sine ipsa factum est nihil, ita sine ipsa nihil refectum sit.* 2. Pariter ostendatur quod *possit* juvare; cum enim Matris officium incomparabiliter perfectius erga Christum impleverit, quam Bethsabe erga Salomonem, potiori quoque jure dicetur ipsi a Christo: *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Unde S. Petrus Dam. s. 1. de Nativ. ait, *ipsa accedit ad thronum DEI non solum rogans, sed & imperans, Domina, non ancilla.* S. Anselmus vero s. de excell. orat. *Benignissimus, inquit, Filius tuus Dominus noster IESVS Christus erit ad contemendum, quicquid velis, promptissimus & exaudibilis, tantummodo velis salutem nostram.* id quod & ipsamet confirmavit dum S. Hyacintho apprensus dixit: *Fili Hyacinthe, quia orationes tuae sunt gratae Filio meo, & quicquid per me petieris, impetrabis.* 3. denique ostendatur, quod *velit* etiam juvare: nam adeo pietate replentur viscera tua, O Virgo (inquit Richardus de S. Victore s. 4. in Cant.) *ut alicuius miseria necessitate tacta lac fundant misericordia, nec possis scire, & non subvenire.* Unde & S. Bernardus hujus voluntatis tam promptae causam Maternitatem illius esse ostendens s. 2. in Dom. 2. post Epiph. ait: *Nihil sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare nisi forte aut non creditur DEI Filius honorare Matrem; aut forte dubitare quis potest omnino in affectu charitatis transisse MARIAE viscera, in quibus, quae ex DEO est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.* Imo, *velociter interdum, teste S. Anselmo c. 6. de excell. Virg. est salus memorato nomine Virginis, quam invocato nomine Filii, non quid*

*ipsa maior sit (nec enim ipse magnus & potens est per eam, sed illa per ipsum) sed quia etsi merita invocantis non merentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. Quam ob causam rectè ad fiduciam magnam, & solatium capiendum hortatur Arnoldus Carnot. de laud. Virg. dum ait: Habet homo Mediatorem causa sua Filium ante Patrem, & ante Filium Matrem. Christus Patri ostendit latus & vulnera: MARIA Christo pectus & ubera, nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt & orant omni lingua disertius hac clementia monumenta, & charitatis insignia.*

### Exemplar Sextum.

In quo ostenditur quomodo variæ devotiones persuaderi debeant.

#### Scopus.

Ostendendus solidus modus colendi B. Virginem.

#### Thema.

Beatus venter, qui te portavit. Luc. 11. cap.

#### Syllogismus principalis.

*Tunc merito B.V. cultum summa estimationis, (post DEVM) fiducia, imitationis, & Zeli exhibemus, quando pluribus titulis in ea repertis ad eum exhibendum incitamur; atqui verum est antecedens, ergo & consequens.*

### EXORDIUM.

Serenissimus Maximilianus Bavariæ Elector p. m. inter alia suæ pietatis monumenta non postremum reliquit columnam marmoream in medio metropolitanæ civitatis Monachij extractam, in qua Imago B. V. artificiosè sculpta publicæ venerationi exponitur; circum circa verò cancelli marmorei in quadrangulâ forma erecti visuntur, in quorum angulis quatuor milites Draconem perimentes, & non procul ab his quatuor lucernæ sunt constitutæ. Quas ob causas piissimus Princeps hanc columnam erigi jussit, varij variè conijcient, ego id factum credo, ut ostenderet, se pro Patrona totius Bavariæ B. Virginem elegisse, optarèque, ut omnes